



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Censuris, In Qua Sex Disputationibus De Poenis Ecclesiasticis, deque
Irregularitate fusè tractatur, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

XXIX. Expenduntur excommunicationes reseruatæ extra corpus iuris
aduersus clericos & religiosos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76667)

secrèta locutione omnino abstinere. Tum ob scandalum. Tum quia (altem in foro exteriori dum veritas non manifestatur) sic litteras mittens, recipiens, & secrèd colloquens excommunicationi subiectus erit.

7 Septimam excommunicationem tulit Pius V. in Bulla quæ incipit: *Quonia*, ubi Episcopos, & quoscumque alios, qui contra formam ibi præscriptam beneficia conferunt, suspendit. Quod si suspensionem ipsam violaverint excommunicationi sibi reservatæ subicit. Capitula verò, & communitates loco excommunicationis à Divinis suspendit, & interdicit. Hanc excommunicationem latè explicui *tract. 13. de benef. dispur. 6. pun. 2. §. 1.*

8 Octava excommunicatio fertur in Bulla Pij V. 83. quæ incipit: *In omnibus rebus*, ubi Pius V. v. recta, & purè expeditioni sacræ penitentiarie consulere, statuit ut illius officiales officia sua per se ipsos tum diligenter, tum etiam fideliter exerceant, solique præsentis, & actû exercentes nisi legitime impediti fructus, & emolumenta percipiant, quorum singulis certum, statutumque aliunde stipendium cuique conveniens decernit assignari, quo solo præcepti contentus esse debere, nihilque aliud etiam sponte oblatum à partibus, aut aliàs sine pro expeditionis celeritate, sine pro alio extraordinario labore tam procurando, quam scribendo, aut recognoscendo, & examinando capere possint. Quicumque secus fecerint officio suo huiusmodi priuari excommunicationis reservatæ sententia ipso facto subiiciuntur.

Dubium tamen est, An hæc excommunicatio afficiat non solum recipientes aliquid à partibus, aut aliunde ultra stipendium assignatum, sed etiam recipientes stipendium assignatum, cum absque legitima causa absint, & per se officium non exercent? Afirmativa pars videtur vera, eo quod clausula illa in fine posita scilicet, *Quicumque secus fecerint*, &c. ad omnia præcedentia referri debet, cum non sit specialis ratio, ob quam potius referatur ad recipientes aliquid ultra stipendium, quam ad recipientes stipendium officium non exercentes: quippe utrumque æquanimiter in præcedenti clausula prohibetur. Atque ita tradit Filliucius *tract. 15. cap. 9. §. 8. num. 209.* Rectius tamen oppositum innuit Bonac. *1. disp. 2. §. 7. pun. 6.* solos recipientes aliquid ultra fructus, & stipendium sibi assignatum hac excommunicatione comprehendi. Ducor, quia hæc excommunicatio lata est, ut *num. præced. dixi*, ut concessiones sacræ Penitentiarie purè, & rectè expedirentur, at huic sincerae expeditioni non obstat indebita receptio stipendij à Pontifice statui, benè tamen obstant munera recepta à partibus, aut aliàs utpote quæ valent Officiales pervertere. Ergo sola horum receptio excommunicatione puniatur. Neque credendum est velle Pontificem ob quamlibet infidelitatem, & negligentiam in exequentibus expeditionibus commissam ab officialibus sacræ Penitentiarie hac censura ligari. Quod necessarium forendum esset, si excommunicatio ad omnes præcedentes actiones referretur. Quapropter dicendum censco clausulam illam: *Quicumque secus fecerint* non ad omnia superius contenta, sed ad ea quæ immediatè præcederunt, quæque constitutionis fini obstant, referenda esse.

9 Nona habetur in Extrava. Pauli III. & est 40. eiusdem, incipitque; *Cum sicut accepimus* adversus thesaurarios, mercatores aliosque ministros Cameræ Apostolicæ, computa administrationum, locationum, affectuum, partitorum, & exactio num reddere debentes, si huiusmodi computa videlicet integrum debitum, & integrum creditum non deseripserint, vel si aliquid penes se, aut eorum ministros, aut ab eis dependentes retineri facere directè, vel indirectè quovis quæstro colore ausi fuerint, vel si coacti per Cameram Apostolicam ad reddendam rationem de exactis, vel administratis ante tempus finitum, vel durante exactio ne, integre non deseripserint totum id quod tempore dationis rationis, seu computorum ad eorum, vel ministrorum, aut agentium suorum manus pervenit. Actiones ob quas hæc excommunicatio fertur, & personæ quibus imponitur ex nuper dictis manifestæ sunt. Finis autem huius constitutionis est præcarere damnus, quod Cameræ Apostolicæ potest contingere, si in hac constitutione præscripta fideliter, ac diligenter non serventur.

10 Decima continetur in Extrava. Pauli II. & est 3. eiusdem, cuius initium est: *Munera*. Quam constitutionem Sixtus IV. in Bulla 15. quæ incipit: *Estis*, confirmavit, ubi Paulus II. prohibet, ne Rectores, & gubernatores, alique Officiales Romanæ Ecclesiæ, vel etiam Legati à latere ad regimen & gubernationem provinciarum, civitatum, ac terrarum Romanæ Ecclesiæ deputati, vel deputandi à provinciis, civitatibus, vel terris quibus præsent, vel officia exercent, aut à singularibus suæ legationis regimini, vel gubernationi suppositis aliquod genus muneris, aurum, argentum, vestem, aut equum, vel alterius cuiuslibet speciei accipiant præter esculenta, & poculenta, quæ intra biduum consumi possunt: alioquin tam dantes, quam recipientes etiam si pontificali præfulgeant dignitate (dummodo non sint factosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui in sacro Collegio coram Pontifice sponte sua obuletunt, & promiserunt non recepturos huiusmodi mune-

ra) ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt, à qua absoluti non possunt nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti. Hæc constitutio comprehendit tantum iudices status Ecclesiastici, & non quoslibet, sed locorum Pontifici subiectorum. Vt in hac excommunicationem incidant recipere munera debent ab iis qui ipsi subditi sunt, vel apud quos sua officia exercent, quia horum numerum receptione periculum est ut à iustitia deflectant. Dantes verò iis munera excommunicatione ligantur, quia huic periculo pererfionis occasione præbent. Præter excommunicationem obligantur recipientes reddere omne id quod acceperunt, & aliud tantumdem. Quoad eam partem, quæ tantumdem reddere tenentur, certum existimo sententiam saltem declarationem criminis requiri, ne suæ propriæ penæ sint executores se priuando dominio acquisito. At quoad partem, quæ acceptum obligantur reddere, reputo probabilius seculis sententia obligari, utpote rei cuius dominum non est illis acquisitum.

Sed cui facienda est restitutio? Bonacina *1. disp. 2. §. 7. pun. 8.* censet pauperibus integram restitutionem faciendam esse, tam eius cuius restitutio sola pœnali constitutione debetur, quam illius quod acceptum est, quia non est verisimile velle Pontificem aliquid reddi donanti, cum ipse iam rei reditæ dominum abdicavit, indignisque factus est ob crimen commissum, cui res tradita reddatur. Veriorem tamen censco sententiam Filliucij *tract. 15. cap. 9. §. 3. num. 210.* afferentis rem acceptam restitui posse donanti ante sententiam condemnationis; aliud verò tantumdem, quod pœnali constitutione restitui præcipitur foris pauperibus restituendum esse. De hac secunda parte nemini est dubium, cum obligatio restituendi illam quantitate solum ex lege pœnali proveniat, & postea sententia condemnatoria, quæ nunquam donantem pauperibus, alique operibus piis restitutionem applicabit. Priorem partem probò, quia cum rei acceptæ dominum non sit translatum in accipientem, eo quod translatio lege impediatur, videtur penes donantem remanere, quia in illo donans prioriter sententia declaratoria criminis requisita est. Sicuti requiritur ad obligationem restituendi illius tantumdem quod acceptum est.

PUNCTVM XXIX.

Expendantur excommunicationes reservatæ extra corpus iuris, adversus Clericos, & Religiosos.

- 1 Expendantur excommunicatio adversus Ecclesiasticas personas, quæ Ecclesiasticos ad forum laicale trahere presumserint.
- 2 Item excommunicatio adversus eos qui beneficia conferunt animo declarato, ut beneficium sibi, vel alteri regnentur.
- 3 Item excommunicatio adversus Clericos Episcopo inferentes, qui obviantes à Pontifice Ecclesiæ parochiales cum iuramento illis intra certum tempus personaliter inferendi, iuramentum non adimplent.
- 4 Item adversus declarantes scripturam contra proprium scripturam.
- 5 Declarantur excommunicatio adversus ingredientes Monasteria Monialium absque licentia Episcopi.
- 6 Declarantur aliæ excommunicationes contentæ in particularibus privilegiis.

PRIMA excommunicatio adversus Clericos enumerari potest, quam tradidit Martin. V. in Bulla 10. eiusdem quæ incipit: *Ad reprimendos*, edita anno 1428. adversus personas Ecclesiasticas cuiuscunque dignitatis existant, quæ aliam personam Ecclesiasticam, collegiam, vel conventum in actione reali, mixta, vel personali, civili, vel criminali, etiam occasione cuiuscunque summisionis etiam iuramento vallata, vel aliàs ad forum, seu iudicium laicale directè, vel indirectè trahere præsumpserint, Deinde excommunicantur ipsi iudices seculares iurisdictionem in Ecclesiasticos exercentes, & omnes alij qui prædictæ actioni cooperari fuerint mandatis, auxilio, consilio, vel favore, aut eam ratam habuerint suo nomine, & mandato factam. Hæc excommunicatio quoad priorem partem differt ab excommunicatione Bullæ Cœnæ, nam in Bulla Cœnæ excommunicantur tam seculares, quam Ecclesiastici trahentes personas Ecclesiasticas ad iudicium seculare, non quidem autoritate Ecclesiastica, sed seculari: at præsentem Constitutionem excommunicantur Ecclesiastici, qui autoritate Ecclesiastica non laicali ad seculare tribunal trahunt Ecclesiasticos. Quæ excommunicatio non videtur reservata. Quoad secundam verò partem in Bulla Cœnæ Domini continetur, ibique & in præsentem referenda est.

Secundam excommunicationem tradidit Pius IV. in Bulla 87. in

In ordine, quæ incipit: *Romanum Pontificem*, quam confirmavit Pius V. in Bulla 85. incipiente: *Involuntabilis multorum peruersitas*, aduersus eos qui beneficia conferunt, eligunt, vel præsentant, seu resignant animo declarato, vt beneficium sibi, vel alteri resignent, vel fructus in totum vel in parte soluatur, quæ simonia confidentialibus nuncupatur. De qua latè egi *tractat. 17. disputat. vltim. de simonia punct. 18. & 25.*

Tertia est, quam idem Pius V. in Bulla 87. quæ incipit: *Inter multiplices curas*, quibus ex pastoralis officij debito, tulit aduersus Clericos Episcopo inferiores, qui obtinentes à Pontifice Ecclesias parochiales cum iuramento illis intra certum tempus personaliter inseruiendi, iuramentum non adimplent. Item aduersus eos qui prædicta beneficia resignant, permittunt, vel cedunt quavis causa, & occasione, & aduersus eos quæ beneficia resignata, permittunt, vel cessa acceptant, & recipiunt. Quinimo aduersus omnes illos sine Clerici, sine laici sint, qui in prædictis auxilium, consilium, vel fauorem scienter præstiterint. Hæc excommunicatio, vt bene notat Bonacina *l. 3. disputat. 2. quest. 5. punct. 1.* vsu videtur abrogata, cuius iudicium est non referri in Bullario nouo, neque prædictum iuramentum in prouisionibus parochialibus Pontificis exigitur.

Quarta refertur in Concilio Lateranen. *sess. 11.* à Leone X. in Bulla quæ incipit: *Suprema maiestates*, vbi omnes tam sæculares, quam regulares excommunicatione reservata sub iuramento, si sacram scripturam contra proprium sensum ab Ecclesia approbatam explanare, & prædicare præsumpserint: Notandaque est dictio *contra*, quia sola explicatio, & prædicatio aduersa sensui ab Ecclesia recepto damnatur, non autem quæ præter est, vt bene aduertit Azor. *titul. 1. in finem. moral. l. 3. capite 2. quest. 3.* Eadem excommunicatio non subicit eos qui tempus præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem iudicii prædicare, vel afferere præsumunt, cum Veritas dicat: *Non est verum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Actandem eadem excommunicatio innotandatur qui de cætero in sermonibus suis publicis alia quoque futura ex litteris sacris constanter prædicare, vel illa ab Spiritu Sancto, aut Diuina reuelatione se habuisse affirmare, vel alienas inanes diuinationes asseruando, aut alio quoquo modo tractando allumant. Vnde infertur nullam futurum euentus reuelationem se posse publicè prædicare nisi ex licentia Pontificis, aut si periculum sit in mora, & necessitas urgeat ex licentia Ordinarij, re prius cum tribus, vel quatuor viris doctis diligenter examinata. Miracula verò ficta, aut incerta prædicare est grauissimum peccatum sit, huic tamen excommunicatio non subicitur: sicuti aduertit Suarez *disputat. 22. sect. 6. numero 8.* & Bonac. *disputat. 2. quest. 6. punct. 2. numero 10.*

Ad extremum aduerto hanc excommunicationem, sicut & plures alias statutas in dicto Concilio Lateranen. sub Leone X. vsu receptas non esse, teste Caiet. *verbo Excommunicatio, cap. 8. l. 1. Nauarr. c. 27. num. 110.* Bartholomæo Carranza *in sum. Concil. in fine illius Concilij.* Et inclinat Suarez *disputat. 22. sect. 6. num. 8.* Filiuc. *tract. 15. c. 7. q. 6. numero 117.* Bonac. *supra, num. 10.*

Vt verò de excommunicationibus Specialiter contra Religiosos latas, extra ius commune contentis loquamur, enumerati primò potest, quam tradit Concil. Trident. *sess. 25. cap. 1. de Regularibus* aduersus ingredientibus monasteria monachum absque licentia Episcopi in scriptis obtenta, & licet ibi non referretur excommunicatio, reservata tamen est in Bulla Pij V. quæ incipit *Regularium personarum*, & in illa eiusdem incipiente: *Romanum Pontificem*, vbi etiam sermo est de mulieribus monasteria vitorum ingredientibus, de quibus excommunicatio latè egi *tract. 16. de relig. disputat. 4. à punct. 8. & seqq.* neque in præfenti aliquid noui dicendum occurrat.

Secundò referri possunt excommunicationes contentæ in particularibus priuilegijs cuiusque Ordini concessis, vti est illa quæ refertur à S. Antonin. *3. part. tit. 24. cap. 70.* Armilla *verbo Excommunicatio, cap. 67.* Suarez *disputat. 22. sect. 5. num. 17.* Filucio, *tract. 15. cap. 8. quest. 7. num. 197.* Bonac. *disputat. 2. q. 5. punct. 2. n. 4.* concessisse Clement. X. in fauorem Ordinis Prædicatorum, ne absque licentia Pontificis, vel suorum superiorum Religiosi Ordinis Prædicatorum à Minoribus recipientur alioquin Minores recipientes in excommunicationem incidunt. Item qua prohibentur Claustrales Minimos recipere sine licentia Pontificis, iuxta Bullam Iulij II. quæ incipit: *Virtute conspicuos*, Præterea quæ subiciuntur excommunicationi detinentes in suis Ecclesijs, vel contentibus apostatas Ordinis Prædicatorum, teste Antonino *3. punct. tit. 24. cap. 70.* Item qua ligantur Fratres Ordinis S. Augustini, qui præterea actiõis regulæ ad alium Ordinem transfuerint sine licentia Prioris Generalis, & recedentes ab eo Ordine, nisi intra octo dierum spatium redierint: vti traditur in *Memoriali clericorum, capite 9. excommunicatio. 37.* Omittit excommunicatio Ferd. de Castro. *Sum. Mor. Part. V.*

nicationem latam à Pio IV. & V. aduersus omnes Religiosos Societatis, qui inconulto Generali actualium Ordinem excepta Carthusia, transferunt, & aduersus eos recipientes, quia *punct. 5.* hanc excommunicationem explicuit, explicans Extrauag. *Viam ambitiosa*, vbi notat ex privilegio Carmelitis concessio, non posse Societatis Religiosos, neque etiam ad Carthusiam transire absque licentia obtenta nostri P. Generalis. Deinde ex Bulla Pauli III. quæ incipit: *Cum sicut*, excommunicantur Minimi se ab obedientia Correctorum subtrahentes, & in Bulla Leonis X. quæ incipit: *Licet alijs*, subiciuntur excommunicationi Tertiarj Eremitæ, & detrahetur habitus Minorum. In Bulla verò Pij V. quæ incipit: *Pastoralis officij*, confirmata à Gregor. XIII. in Bullis incipientibus: *Conuenit Romanus* excommunicantur Minores de Observantia, qui in electionibus, vel ante eas per sex menses pro se, vel pro alio subornauerint; vocæque actiõis, & palliua perpetuò priuentur. Qui verò ad officium in Religione obtinendum quorumuis fauorem extra religionem procurauerint vltra prædictas penas excommunicationis, & priuationis vocis actiõis, & palliua per mensem carceri mancipandi sunt. Cæterum autem subornationem committere qui promissione, seu donatione vili suffragia querit, fauorem verò exterrorum procurat, qui potentum petitionem interpellat. Insuper Clemens V. prohibuit sub pena excommunicationis Fratibus Minoribus, ne Tertiarjos Ordinis S. Francisci tempore interdicti in suis Ecclesijs ad Diuina audienda admitterent; eo quod populus scandalum accipiebat, videns cæteros omnes excludi illis solum admissis. Tandem Paulus V. in *sua constitutione 2. edita anno 1606.* excommunicationem sibi reservatam tulit, aduersus omnes Generales, Prouinciales, & Superiores cuiuscunque Ordinis: qui Religiosos sibi subditos, hæreticos, vel de hæresi suspectos Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus non denunciauerint, vel denunciare volentes impediunt, aut retardauerint. Vt latius ex tenore Bullæ constat, & notat Bonac. *l. 3. de censur. disputat. 2. quest. 9. punct. 7.*

PUNCTVM XXX.

Expenduntur excommunicationes extra corpus iuris Pontifici reservatæ, communes omnibus personis.

- 1 Declaratur excommunicatio reservata aduersus eps, qui pro litteris Apostolicis impetrandi se fingunt nepotes, Vicecancellarios Cardinalium, &c.
- 2 Item declaratur excommunicatio aduersus asserentes ex Ecclesijs almae Urbis lapides, vel ornamenta.
- 3 Expenditur excommunicatio aduersus accedentes ad sepulchrum Domini causâ detentionis, sine licentia Pape.
- 4 Item excommunicatio aduersus impediētes ingredi Religio-nem Monachorum B. Mariæ Montis olimeti.
- 5 Item excommunicatio aduersus asserentes, vel defendentes Ordines Prædicatorum, vel Franciscanorum non esse in statu perfectionis.
- 6 Item excommunicatio aduersus deferentes alumina de terris infidelium ad terras fidelium.
- 7 Item aduersus impediētes executionem litterarum sacrae Penitentiariæ.
- 8 Item declaratur excommunicatio aduersus varias personas pro beneficijs obtinendis in Romana curia delinquentes.
- 9 Item aduersus tractantes de alienatione ciuitatum, vel locorum ad Sedem Apostolicam pertinentium.
- 10 Item aduersus retinētes scripturas Camera Apostolicæ.
- 11 Item aduersus publicantes indulgentiam pecuniâ recepta.
- 12 Deinde aduersus eos qui occasione noua prouisionis in cathedralibus, seu collegiatis Ecclesijs aliquid exigunt, petunt, vel recipiunt.
- 13 Item aduersus eos qui Christianos in locis Turcarum inuentos ceperint, vel in seruitutem redegerint.
- 14 Item aduersus eos qui donationibus, vel promissionibus factis, obtinent certiores fieri prouisionem à Sede Apostolica.
- 15 Item aduersus impugnantes, vel in dubium reuocantes aliquid pertinens ad institutum, vel constitutiones nostræ Societatis Iesu.
- 16 Item aduersus exigentes iuramenta in beneficiorum prouisionem, obstantia libertati Ecclesiastica aut Decretis Concilij Trident.
- 17 Item aduersus duellantes, vel concedentes locum duello.
- 18 Item aduersus violantes immunitatem locis sacris debitam.
- 19 Item aduersus affirmantes licere per litteras confessorio absolvere peccata confiteri, & ab eo absolui.

K 20 Item